



## The Holy See

---

PIUS PP. XEPISTOLADIARIUM TERRAE SANCTAE\*AD R. P. ROBERTUM RAZZOLI, EX ORDINE  
FRATRUM MINORUM  
CUSTODEM TERRAE SANCTAE, OB EDITUM " DIARIUM TERRAE SANCTAE" Dilecte fili, salutem et apostolicam  
benedictionem. — *Diarium Terrae Sanctae*, haud ita pridem a te coeptum vulgari, eiusmodi est opus, quod magni ab  
optimo quoque fieri debet. Non modo enim in honorem vertit Franciscalis familiae tuae, cuius res istic et superiore et hac  
memoria paeclare gestas complectitur; sed etiam, afferendis, quae in tabulariis vestris asservantur, veteribus  
monumentis, iura catholici nominis in istos Sacratos Locos, eaque a maioribus fortissime asserta, illustrat. Huc accedit,  
quod amplam ibi materiam habent in promptu, quicumque vel pietatis vel doctrinae causa rebus Palaestinae student.  
Quare tibi gratulamur, dilecte fili, teque ut, quod instituisti, pergas hortamur: inde maxime sperantes fore, ut divinus  
Redemptor noster cognoscatur magis et ametur. Ipsius autem munerum auspicem, et paternae benevolentiae Nostrae  
testem, tibi et sodalibus tuis, operis huius adiutoribus, apostolicam benedictionem amantissime impertimus. *Datum*  
*Romae apud S. Petrum die XII Decembris MCMIX, Pontificatus Nostri anno septimo.* PIUS PP.

---

X

\*AAS, vol. II (1910), p. 9.